



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Maximi Episcopi Moguntini: Ex ea quæ est iussu Reuerendißimi & Illustrißimi Alberti Archiepiscopi Moguntini à Ioanne Trithemio conscripta. Numeratur eius sedis episcopus nonusdecimus. Obijt ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

in vincula coniectus, longinquo temporis spatio ibi afflicatus, tandem cum vigesimus annus regni Imperatoris adveniret (quo ex decreto concessum erat, ut libertas omnibus, qui in vinculis ubique constricti tenebantur, palam predicaretur) solus iste in compedibus iacens, utroque pede ad quintum foramen distracto, laqueo collo circumiecto strangulatus, martyrio demum, sicut ei erat in optatis, decoratur.

Strangulatur.

VITA S. MAXIMI EPISCOPI MOGUNTINI: Ex ea qua est iussu Reverendissimi & Illustrissimi Alberti Archiepiscopi Moguntini à Ioanne Trubemio conscripta. Numeratur eius sedis episcopus nonusdecimus. Obijt vero anno Domini trecentesimo septuagesimo octavo. Pontificatus sui 24.

Vide C. Baro. et Not. ad Marty. Rom. & Annal. Tom. 3.

BEATUS Maximus Moguntiae honestis & Christiana pietate eximijs natus parentibus, optima praestantiq; indole puer literis traditus, tantos in ijs brevissimo temporis spacio fecit progressus, ut nulli sodalium esset secundus. Saeviebat eo tempore cum aliorum haereticorum, tum Arianorum praecipue perfidia: quae inter alios Lucium quoque Anneum Moguntinum antistitem pro fide Catholica apud Phrygiam cum duobus presbyteris Paulo & Crescentio exultantem insidijs circumvenit, ac postremo strenue decertantem strangulavit. Ei viro sanctissimo & magnarum in Christo virtutum insigni Maximus stabili semper charitate adhaerens: eaque propter beatissimus Praesul Moguntia discedens, Maximum praef-

18. Nouẽ. Patria eius.

Eximius profectus eius in studijs.

Strangulatur ab Arianis Lucium Anneum Moguntinum episcopus.

presbyterum pro confirmâdis in recta fide populis apud Moguntiam reliquerat. Relictus igitur cum nequaquam suo antistiti virtute inferior, veras Christi oves pabulo diuini verbi sedulo pasceret, & irruentes lupos dictis factisque submoueret, mox audita Lucij Annei necesse, reliquæ fidelium continuo eum communi consensu in defuncti sedem collocarunt, & Moguntinæ Ecclesiæ Præsulem, anno salutis humanæ trecentesimo quinquagesimo quarto, dignissimum declararunt.

*Ei succedit
Maximus.*

*Zelus eius
pro defensione
fidei.*

*Alia eius
virtutes.*

Eo igitur munere haud segniter suscepto, irreprehensibilem se Domino exhibuit ministrum: paratus pro amore Dei populique salute non persecutiones solum, & carceres sustinere, sed ipsam quoque mortem, & si quid morte esset crudelius, constanter subire. Erat vir diuinarum humanarumque rerum scientia præclare instructus, & tantis insuper virtutibus ornatus, ut vita ab Apostolica perfectione nihil distaret. Corpus assiduis ieiunijs & vigilijs penè continuis castigabat, sanctis orationibus & Euangelicæ prædicationi sinè intermissione intectus. Peragrabat vicos & vrbes nudis, ut plurimum, pedibus, Presbytero, Diacono & Subdiacono comitatus; cunctisque per gyrum populis salutare doctrinam opportunè & importunè inculcabat; & multos, frementibus licet Arianis, à perfidia ad fidem veram & Orthodoxam reducebat. Ea res cum dæmonis satellites haberet pessimè, tùm nihil non moliebantur, ut aded præstanti virtute & doctrina virum vel morte mulcarent, vel certè perpetuò exilio à pascendis Christi ouibus arcerent. Septies itaque

itaque Pontificatus sui tempore ab impijs Ari-
 nis vrbe Moguntina pulsus est; septies quoque
 diuina prouidentia restitutus: animo mente-
 que per omnia inuictus: utpotè quem nulla
 hereticorum infidix, nullæ calumniæ vel im-
 pugnationes frangere poterant. Pro tuenda
 namque Catholicæ Orthodoxæque fidei asser-
 tione, nec mortem timuit; nec vincula, nec
 carcerem aut exilium subire formidauit. Do-
 cuit publicè cum licuit; docuit & occultè, cum
 aliter non poterat: docuit verbis, docuit scri-
 ptis: ac tandem post varias pro fide Christi per-
 secutiones, & innumeras tribulationes, plenus
 dierum atque virtutum ad Dominum migra-
 uit foeliciter: anno Incarnati verbi trecentesi-
 mo septuagesimo octauo: Pontificatus sui vice-
 simo quarto.

*Septies mit-
 ticur in exi-
 lium ab Ar-
 rianis &
 multa pati-
 tur.*

*Migrat ad
 Dominum.*

Porro Arianorum perfidiam, quatuor libris
 pietate & eruditione plenis oppugnauit; edi-
 ditque præterea de Incarnatione Domini li-
 bros duos: De Spiritu sancto totidem. De Con-
 stantia fidei Catholicæ librum vnum: De Mar-
 tyrio Sanctorum similiter vnum. Homilias &
 Sermones multos & vtilis ad populum, alia-
 que nonnulla scripsisse dicitur: quæ ad noti-
 tiam nostræ lectionis peruenire minimè po-
 tuerunt. At verò beatissimi Pontificis corpus à
 discipulis in Ecclesia diui Præsulis Hilarij, po-
 stea nuncupata in Dalheim (vbi ciuitas Mo-
 guntina eo tempore legitur fuisse constructa)
 debito cum honore, iuxta tumbam S. Crescen-
 tis, primi Episcopi, fuit sepultum: in quo qui-
 dem loco humatum permansit annis quingen-
 tis quinquaginta septem, vsque ad tempora
 Hilde-

Scripta eius.

*Locus sepul-
 turæ eius.*

*Translatio
reliquiarum
eius & alio-
rum.*

Hildeberti, post S. Bonifacium Moguntinensis ecclesie Archiepiscopum, duodecimi: qui anno Dominicæ incarnationis 935. decem Ecclesie Moguntinæ Pontificum ossa è Sacello D. Hilarij memorato, solemnium processione Cleri & populi, ad Ecclesiam monasterij diui martyris Albani transtulit: & in choro summa cum reuerentia collocavit: inter quæ, corpus quoque beatissimi Pontificis Maximi, fuisse memoratur.

*Vide Tom.
2 Annal C.
Baron.*

MARTYRIVM S. BARLAAM: EX HOMILIA B. BASILIJ MAGNI DESUMPTUM: QUOD CASAREA IN CAPPADOCIA INVICTO ROBORE CONSUMMAUIT, ANNO DOMINI 304. MARCELLI PAPA 1. GALERIJ MAXIMIANI IMP. 1. SIMILITER.

19. Noueb.

P R I M V M quidem Sanctorum mors placentu ac lachrymis cohonestabatur: nunc verò morietibus sanctis exultamus. Tristitium namque post Crucem Domini immutata est natura. Iam non amplius Sanctorum obitus lamentationibus prosequimur, sed tripudijs diuinis circum ipsorum sepulchra veluti choreas ducimus: Somnus autè iustis est mors: imò magis ad vitam meliorem migratio. Hinc est, quod martyres exultant, dum trucidantur: Non enim pericula, sed coronas respicit martyr: & plagas non horret, sed præmia numerat. Non videt lictores infernè flagellantes: sed Angelos supernè lætus omnibus acclamantes imaginatur: non spectat ad temporaria pericula, sed ad præmiorum æternitatem. Id ipsum sanè hodie forti ac strenuo Barlaam vsu venit: qui homo quidem agrestis insuperabilem nobis

Mors sanctorum somnum.